Quinta species consultationis est, quando Judex, nec facti, nec juris dubius, superiorem consulit ob reverentiam superioritatis, sententiam quam pronuntiatam habet referendo ante illius promulgationem, ut statim executioni mandetur remota appellatione; & hæc est consultatio, seu relatio de qua præcipue hic agendum est, quam pariter attingit Xamar. *ibid. n. 81.* Et hanc in duplici differentia reperio: nam aut consulitur supremum tribunal adhibita causæ summaria relatione; aut consulitur, seu refertur Regi ut certior fiat de notabiliter gestis per Præfectos suæ domus & Curie.

Primus modus in praxi frequens est, tum in Regiis Prætoris Pinciano, & Granatensi, tum in nostra Aula, tum etiam in ipso Consilio, quæ mihi deptompta videtur ex Text. *in leg. jubemus 34. c. de appell.* quo Imperator Justinianus cautum reliquit quod si princeps super aliqua causa consulitur, per Consiliarios ab ipso destinatos causa examinetur partibus, præsentibus, vel absentibus, unâ cum relatione: & secundum illorum consilium Princeps decernit, atque referibit, & à tali rescripto appellatio non datur. Sic Salicetus hunc Textum nucleavit, in epigraphæ ipsius quibus ferè verbis Bartolus explicat illius sententiam, & communiter Doctores: probant Donell. *l. 28. comm. c. 6.* & ibi Illiger. *lit. X. & seqq.* clariùs Jacobus Cujacius *in paratit. ad tit. c. d. de relat. & in recit. solemn. ad eund. tit.* quo loci postquam dixerat hodie sublatum reperiri genus relationis Judicis ante sententiam ambigentis, quid statuere debeat; subjungit hæc verba, *vel etiam post sententiam appellatione interposita, nec recepta, ut Princeps estimet an sua sententia sequenda sit?* ad quod probandum allegat *leg. penult. Cod. Theodof. eo in tit. & alia jura.* Ex quibus plenè probatur

hujusmodi relationis, sive consultationis speciem jure Romanorum cognitam, & usu receptam fuisse.

Quo posito modus nostræ praxis expendendus venit qui sic se habet. Quoties enim Judices inferiores sentiunt crimina de quibus agitur esse ex gravioribus & exceptis, in quibus appellatio venit deneganda, superiorem ad quem causa per appellationem deferri debet, ad eunt; & facta, modo asueto, plena relatione actorum, simul cum sententia ab eis pronuntata, nondum publicata, cum clausula executionis appellatione remota, consulto priùs ipso superiore; qui quidem si sententiam justam sensit, devolvit causam inferiori, ut eam exequatur; sin minus, causam per suos tramites adduci jubet idiomate Hispano, *venga por su orden.* Et aliquoties licet raro, si aliquid moderandum reperit in ipso decreto moderatur, vel temperat; aut denique causam retinet prout judicat faciendum juxta juris dispositiones. Quæ quidem praxis desumpta fuit per nostros majores ex verbis dict. *l. 11. tit. 22. part. 3.* ut scribit Bobadilla *d. lib. 2. cap. 22. num. 201. ibi: Algunas vezes en las Chancillerias suelen dezir los Alcaldes des crimen, por auto a las tales consultas, que el proceso venga por su orden, que es dezir que se lleve citatorias y compulsoria. Otras vezes prove en que se retiene, la causa, y sin emplazamiento ni mas solemnidad o sustantia, confirman, o revocan, o moderan la sentencia, y remiten la causa al Juez para que aquella se execute.* Sed ut exteri percipere faciliùs possint Latino sermone tradere hæc verba decrevi, quæ sic se habent: *Aliquando in Regiis Prætoris Quæstores criminum per interlocutionem similibus consultationibus dicunt, quod processus veniat per suos tramites, nempe præmissis litteris citatoriis, & compulsoriis, aliquando causam retinent, & aliquando illam audiunt, & sine citatione, nec alia solemnitate, vel substantia confirmant, vel revocant aut moderantur sententiam, causam judici remittendo, ut id exequatur.*

Hæc enim quæ à practico illo, & erudito viro summarè, & breviter tradita sunt, explicanda amplius, & exornanda veniunt. Nec immotor in disputando an illa praxis restricta sit ad Aulas criminum, Regiarum Cancellariorum, de quibus tantum loquutum fuisse, videtur; nam cum potestas, & jurisdictio nostræ Aulæ criminum Curie præstantior

tior sit, ut probavi *controversi. 1. hæsitari non potest de jurisdictione & potestate, sicut neque de usu qui inveteratus est, ut notoriè omnibus Curialibus patet: Quemadmodum in causis quas de comission vocamus, quarum appellationes referantur Consilio sunt, qui quidem consultiur eo ipso modo, ut patet est notum.*

37 Quod enim subitari potest, est quando si casus decreti adducendi causam per suos tramites vulgò *venga por su orden;* quando retinendi causam; quando devolvendi ut sententiam exequatur; & quod perspicuum est, an in hac summaria cognitione sententia debeat in totum confirmari, vel in totum revocari; an verò pro parte infirmari, & pro parte confirmari possit.

38 Quoad primum cum Textus *in d. l. 11. tit. 22. part. 3.* reservet Principi facultatem respondendi ad consultationem vel non ibi: *re entonces el Rey sabida la verdad puede dar el Juicio, o cambiar a dezir a aquellos Indagadores de como la den, si se quisiere.* Nostra Aula quæ eius nomine causas judicat, ut dixi *d. contro. 1. n. 43. & seqq.* arbitrium reservatum habet per ipsam legem, & eo utendo quoties ex relatione apparet causam liquidam non perduci, & requirere altiotem indaginem, ut discussioni locus sit eam duci per suos tramites mandari; & hoc est idem ac si diceret locum esse appellationis.

39 At quia simile arbitrium regulandum venit secundum juris dispositiones: nam ut dixerat Aristoteles *libro 3. de anima: in ratione inest voluntas, l. quod Ephesi 4.* & ibi Gotofred. *lit. E. ff. quod certo loco l. si sic legatum 75. in princip. ff. de legat. 1.* notant Donell. *libro 26. comm. capite 11.* & ibi Illiger. *littera 1. pluribus Menochius, de arbitrar. questione 7. numero 17. & sequentibus Osalcus. Beniten. Joseph. Ludovif. Escobar, & alii laudati per Xamar, de offic. judic. part. 1. quest. 9. ex num. 197.* Dominus Crespi *observat. 69. numero 3. 2. parte pluribus etiam noster Don Franc. de Rojas Episcop. Abulens. decis. Rot. 161. num. 1. Valenzuel. conf. 90. numero 21. Giurba ad consuet. Messan. cap. 3. gloss. 8. part. 1. num. 22.* Farin. *in reper. judicial. 40 quest. 44. num. 6. & seqq.* quando causa venit ritè, & rectè fulminata, & sententia judicis consulentis non videtur fatis justificata, tam ex defectu proba-

tionis, quam ex eo quod crimen non ex illis in quibus appellatio deneganda est, & similibus; interponi decretum debet, quod veniat per suos tramites, quod in substantia est dicere quod appellatio debet admitti & de causa plenariè cognoscendum est.

At verò quando Judex inferior aliqua omisit, commissive in procedendo, & instruendo causam illam perdere metetur, tuncque interponitur decretum de retinendo. Nam de jure quoties Judex male se gessit & aliquid operatur quod revocandum sit, causa remanet penes Judicem ad quem licet quoad articulum specialem tantum sit appellatum, ut probat *Text. in c. 1. de appell. in 6. & ibi August. Barbosa in collect. n. 4. sequitur Petrus Barbosa in l. si de vi. 37. ff. de Jud. n. 436. Gratian. discept. for. cap. 6. n. 12. cum seqq. Covarr. practica cap. 9. n. 6. latè Sigismundus Scaccia de appell. cap. 2. g. 17. limit. 47. membr. 3. ex n. 1.* Nam licet retentio & advocatio causæ ad superiorem generaliter prohibeatur *ex l. 32. tit. 4. lib. 2. recep. Avendaño in c. 5. Prætor. n. 12. vers. negligentia, lib. 1.* Tamen semper refertur in arbitrio superioris quod causa retineatur si ratio adsit *l. 22. tit. 4. l. 2. recip. Avendaño ubi proximè & eod. lib. c. 19. n. 2. cum seqq. Covarruv. d. n. 6. & uterque Barbosa & Gratian ubi supra, quibus adde prædicum Monteroso tractat. 5. cap. 2. num. 3. ibi o procede apanfundamente.* Et sic Aula nomine Regis judicando causas criminum iustissime his rationibus retinere potest, & debet.

Denique quando sententia venit undique justificata, ob quod appellatio interponenda frivola apparet, tunc causa devolvitur, ut Judex suam sententiam executioni mandet ut tradit Bobadilla *ubi supra:* & ratio est, quia appellationi frivola nunquam est deferendum, *cap. cum appellationibus frivolis, 5. & ibi August. Barbosa de appellat. in 6. Barr. Felin. Specular. Socin. Scaccia, & alii plures congesti per Salgadum, de reg. practic. part. 3. cap. 3. c. 6. num. 40. cum seqq.*

Sed, ut dixi, pulchrum dubium suscitari solet utrum si sententia contineat diversâ capita, ut pura, quia plures sunt rei qui delictum de quo agitur patrarunt, & quoad unos videatur sententia juri conformis, quoad alios non ita, an possit quoad illos

illos devolvi, & quoad hos juberi quod veniat per suos tramites? & ratio dubitandi esse solet ne continentia causa dividatur juxta Textum in l. nulli 10. C. de Judicis c. 1. de caus. possess. & propriet. c. 1. de sequest. fruct. & propriet. & utrobique Doctores, signanter Augustinus Barbosa plura & plures congerens, Scaccia de appell. quæst. 17. lim. 47. memb. 3. n. 16. Salgado de Reg. protect. parte 2. c. 10. numero 60. Donell. lib. 17. comm. c. 18. & ibi Illiger. lit. H. cum duobus seqq. Toro in Cod. allegat. 48. per tot. Valenzuel. conf. 49. numero 28. tom. 2. Novissimè Don Michaël Cortiada eruditus Senator Barchinonensis decis. 36. n. 32. quæ quidem divisio vitari nequit dum quoad unam sententia approbatur, causetque devolvitur, quoad aliam appellatio admittitur, vel causa per suos tramites adducitur.

48 Quæ consideratio amplius confirmatur ex eo quod ubi dux sunt causæ complicatæ, quarum una admittit appellationem, alia non; sententia utriusque appellabilis remanet, juxta doctrinam Bald. in l. post sententiam n. 6. c. de sentent. & inter loc. om. judic. Pacian. de prob. l. 1. 16. Macer. lib. 2. res. 9. n. 5. Scacc. de appell. g. 17. limit. 6. memb. 9. n. 84. Duran. dec. 17. c. 4. n. 1. & decis. 177. n. 2. p. 2. Gratian. decis. 136. n. 1. his & aliis laudatis Giurba dec. 101. n. 2. & observat. 65. n. 9. quid magis complicatum quàm individuum factum ex quo dimanat, unum delictum, unica causa, & unica sententia: Et si quoties in eadem sententia reperitur ratio ob quam quoad unum ex reis appellatio recipienda sit, quoad ceteros quoque remanebit causa appellabilis.

49 Sed his non obstantibus praxi receptum est quod dividi possit ex eo quod in jure tot dicuntur sententiæ quot sunt capita vel sunt rei, Text. in l. etiamsi à patre 29. §. ex causa, ff. de minor. optimus ad rem Text. in l. quædam mulier. ff. famil. erisc. l. Cornel. pia. ff. de jur. patronat. Melior ad rem Text. in leg. si qui separatim 10. §. si quod 4. ff. de appell. quo Ulpianus hæc inquit, in communi causa quoties alter appell. alter non, alterius victoriam ei proficere qui non provocaverit: hoc ita demum probandum est si una eademque causa defensionis sit. Ceterum si diversa sint, alia causa est. Quo Textus ad individuitatem prolationis non sufficit quòd communis causa dicatur, sed necessariò requiritur quòd sit una eademque causa defen-

sionis: sed in specie proposita quoad unumquemque reum diversam supponimus causam defensionis, cum unus reperitur plene convictus, alius leviter indicatus. Unus deliberatè interfuit factò, dolosè cooperando in maleficio, alius casu magis quàm dolo reus fuit, & sic similiter in delictis pluralitatis, ut quotidiana experientia demonstrat: ex pluralitate circumstantiarum variatur culpa uniuscujusque ex accusatis ob quod tritum est in ore Doctorum tot esse sententiæ quot sunt capita: probant Scaccia de appell. g. 4. n. 23. & g. 10. n. 8. g. 17. limit. 6. memb. 9. n. 31. & lim. 47. memb. 2. n. 23. & memb. 3. n. 26. Ant. Gom. var. lib. 2. c. 11. n. 16. Tusc. lit. C. concl. 65. Cancr. var. 3. p. c. 17. n. 63. Greg. Lopez in l. 4. tit. 26. part. 3. Azeved. in l. 7. tit. 18. lib. 2. recopil. n. 16. Bolaños in Cur. Phil. part. 5. §. 6. num. 1. Salgado de reg. protect. 3. p. c. 15. ex n. 1. August. Barbof. in c. si duobus 7. de appell. n. 1. & in c. Raynaldus de success. ab intest. numero 5. aliis relatis Joannes de Aillon ad Gomez dict. libro 2. c. 11. numero 16. verf. sententiam, & Peguera in prax. Rub. 24. numero 15. & ibi Ripol.

Secundò, probatur hæc conclusio ex Text. in l. si quis uxori, vers. 1. ff. de furt. l. si quis preferendum, §. fin. ff. eod. l. in minoribus, C. de his quib. ut indig. ex quibus manifestè apparet quod in qualibet persona ex pluribus patrantibus unum & idem crimen, reputatur diversum delictum, arg. Text. in l. i. c. de condic. furt. ut hæc & alia doctissimè perpendit Ant. Gom. lib. 3. var. c. 10. n. 6. ergo necesse dicendum est, quod quoad unumquemque reum diversum judicium instituitur, cum diversa sit causa, diversa persona, diversumque crimen, mirabiliter Ant. Fab. in C. lib. 7. tit. 24. def. 2. quo sententiam dividuam probat quoad eundem reum pro eodem delicto.

Tertiò probatur, quia separatorum separata ratio esse debet, l. Papinianus 20. ff. de minor. l. fin. ff. de calumniator. l. si maritus c. de donat. int. l. quoniam, C. de com. fise. debet lib. 10. Bald. in l. cum necessitatem, C. de fideicom. Decian. tract. crimin. tom. 1. lib. 1. c. 7. num. 4. Paul. Castr. conf. 389. numero 1. Patif. conf. 101. n. 38. lib. 1. Marc. Anton. variar. resolut. lib. 1. resol. 111. n. 4. Menoch. conf. 436. num. 7. Barbof. Axiom. 205. num. 5. Valenz. conf. 33. num. 2. 16. cum autem culpa, probatio, dolus, & causa delinquendi separata

separata semper sint, ex quibus resultat defensio uniuscujusque; quare quos defensio separat, non debet separare ratio quæ de his habenda est:

54 Quartò, nam in criminalibus continentia causæ non potest dari ex ratione superius adducta, nempe, quia licet idem delictum à pluribus patrarum sit, cum respectu cujuslibet diversum censetur, non militat inconveniens divisionis, nempe ut super una eademque causa diversæ proferantur sententiæ, cum eadem causa diversis respectibus possit producere diversos effectus; leg. miles 75. §. pro parte; ff. de legat. 2. nam ut docuit Aristot. 3. Physicor. eadem causa interdum est contrariorum effectuum diversis rationibus, exornat pluribus Salgado de reg. protect. part. 2. cap. 7. num. 81. & rubrica, ff. de quibus rebus ad eundem judicem dicitur, rectè procedit cum causa una est, nisi conditio personarum quæstiones variaverit, ut expendit doctissimus Jacobus Cujacius in parat. hæc virul. ad fin. Ob quod licet Clericus & læticus complices sint ejusdem numero criminis, nequaquam ab uno eodemque Judice puniuntur, sed unusquisque à suo Judice, ut pluribus probant adducti per Barbofam de jur. Ecclæs. lib. 1. capite 39. §. 2. numero 94. & in collect. ad dict. leg. nulli, Cod. de jud. num. 7. quibus addendus Fontanella decis. 202. num. 3. & adducti per Aillon ad Gomez. dict. cap. 10. num. 6.

56 Neque hoc in casu adaptari potest doctrina de continentia causæ; cum hæc procedat juxta veriore interpretacionem d. leg. nulli in eo qui judicium instituit super eadem re coram diversis Judicibus, ut docent Salicetus & Alex. ibid. & probat Affl. dec. 354. n. 6. hoc enim valde diversum est ab specie proposita in qua causa quoad omnes instituta reperitur coram eodem Judice, & ab eo per sententiam terminata; sed superior quoad unum appellabilem causam existimans eam mandat adduci per suos tramites, quoad alium inappellabilem, & voluit ut sententia exequatur: quod fieri posse mihi probat Textus in d. l. si quis uxori, vers. 1. ff. de furt. quo Textu ex eodem furto per uxorem, & extantem patratam uxor non tenetur pœnâ furti; at tenetur ac punitur socius illius; Item in l. si quis preferendum, §. fin. ff. eod. probatur quod in eodem delicto qualitas aggravans crimen auget pœnam in

eo qui eam obtinuerit, in aliis minime, in dict. leg. minoribus; Cod. de his quibus ut indig. Ex pluribus condemnatis pro uno eodemque delicto, appellans consequitur suspensionem sententiæ, & in eum qui non appellaverit potest statim exequi sententia, ut mirabiliter hæc & alia jura expendit Anton. Gomez. de. 10. num. 6. Quare multo magis quoad plene convictum, vel confessum poterit causa devolvi, & quoad minus gravatum probationibus, appellatio admitti. Neque complicatio, hæc destruit: nam si verè reperitur, quod difficillimum credo tunc eodem jure quoad omnes appellatio erit admittenda: sed non ex eo quod delictum, causa, & personæ eadem sint, sequitur necessariò complicatio; de qua Giurba & ceteri per eum adducti ubi prox. Ex quibus sic vidi pluries practicari in Aula signanter in causa raptus cujusdam virginis Vestalis de qua condemnati veniebant Justus de Valdivieso tanquam raptor in pœnam capitalem, & Maria Bultamante tanquam receptatrix in pœnam fustigationis; & quoad illum fuit causa devoluta & sententia executioni mandata, quoad illam decretum quod causa adducere retur per suos tramites, & in gradu appellationis sententia revocata anno 1660: & quod magis est, adeit decisio Consilii in causa mihi commissa ad inquirendum, & puniendum ratione grassationis patratæ in itinere de Alcala die 21. Decembris 1665: qua ingens summa monetæ argenteæ per Principem remissa ad fovendas atres Principatus Gotolanæ subrepta fuit; in ea inquam causa condemnati, ut principales grassatores ad ultimum supplicium Joannem de la Espada, Franciscum Briñas, Dominicum de las Heras, & Didacum Duran, ut receptatores Didacum Pellicer, & Ludovicum Garcia; in pœnam fustigationis & remigii, cum executione; appellatione non obstante, consulto prius Consilio, cui reservatæ erant appellationes. Et facta relatione actorum, unico decreto diei 16. Januarii 1666, fuit mihi causa devoluta, ut sententia executioni mandaretur quoad Joannem de la Espada, Franciscum Briñas, Dominicum de las Heras, & Didacum Pellicer: quoad alios duos justum quod causa duceretur per suos tramites. Et postea plene discussa sententia

sententia capitalis quoad Didacum Duran fuit confirmata, quoad alium comutata poena verberum; & remigii in exilium sententia diei 16. Decembris 1666. & si licet investigare rationem decidendi tanti Senatus, ea meo iudicio fuit; nempe quod Didacus Duran fuerat tortus in caput proprium, & negativè perseveravit, sicque appellatio illius recepta cum negari non possit quod quæstio in negante purgat indicia, & minuit poenam, juxta leg. 4. tit. 30. part. 7. ubi Gregor Lopez docet Gomezius libro 3. var. cap. 13. numer. 28. & ibi Aillon plura congerens, quorum aliquos laudavi de regim. c. 8. §. 9. num. 94. quibus addendus Petr. Cabal. cas. 288. n. 20. & 25. Ludovicus verò reperiebatur minor viginti annorum, & participatio rei grassatæ erat modica post delictum, ex quibus res dubia visa fuit, juxta leg. auxilium, §. in delictis ff. de minor. l. 4. tit. fin. part. 6. leg. 9. tit. 17. ead. part. Anton. Gomez lib. 3. cap. 1. num. 62. & ibi Aillon & sic clarissimè apparet diversitas defensionis juxta dict. leg. si qui separavit, §. quo, ff. de appellat. ac per consequens quoad illos devoluta, & quoad istos appellatio recepta fuit.

Denique secunda species consultationis hujus generis, est quam ex inveniata Aulæ consuetudine fit, suas sententias capitales Regi Domino referendo ante illarum publicationem, quæ perficitur personaliter omnes Præfectos domus Regiæ & Curia ad Aulam Principis properando hora ad id per ipsum assignata; quo ille qui præsidet summariæ causam Principi refert, cum compendiosa probationis narratione, atque sententiæ deliberatæ substantia, quam exequendam esse declarat nisi per ipsum Regem aliud jubeatur. Qui tantum respondere solet: *Fiat Justitia.*

Quæ consuetudo ex eo deductam opinari possum, nempe cum in arduis ex dict. l. 19. tit. 23. part. 3. caveatur ne quid deliberetur in scio Principe ibi: *menos de aver acuerdo con el Rey.* ubi Gregor. Lopez, & Parlador. d. lib. 2. c. 1. num. 21. & nihil ita arduum reperiri possit sicut pronunciare de via hominis, ideo nostri majores, tum dispositioni dictæ legis parendo; tum etiam ob reverentiam ipsius Principis cujus familiares, & domesticæ Præfecti sumus, introductam hanc laudabilem consuetudinem re-

liquerunt, quod observatur si Rex in Curia reperitur: nam eo absente absque alia solemnitate, vel consultatione sententiæ capitales publicantur, & executioni mandantur, ut observatum vidi, & fuit in causa Lupi de Villarreal & aliorum qui ad poenam capitalem combustionis condemnati fuere in mense Junii anno 1660. ob falsificationem monetæ argenteæ; quo Rex noster absens reperiebatur ratione nuptiarum Regum Christianissimorum. Si verò Princeps aliqua ex causa impediatur, quo minus Audientiam publicam concedere possit, tunc similis consultatio fit in scriptis per Præsidentem Consilii, ut pariter vidi observari die 5. Octobris anni 1665. quod ob recens fanus Domini Regis Philippi, adhuc nostra Regina horum Regnorum Moderatrix, audientiam publicam non admisit, & medio prædicto fuit facta consultatio sententiæ capitalis deliberatæ in Ildephonsum Gonzales Barroso el Pardillo rñcupatum, & jussum quod executioni mandaretur. Sed postea commutationem poenæ per indultum cōsequutus fuit, ob interpositionem celebritatis acclamationis nostri Regis, & Domini Caroli II. quem Deus Optimus Maximus in omnibus protegat.

Et est admiratione dignum quod cum hæc stant in causis quæ in hac suprema criminum Aula per sententias capitales terminantur, quando per Cōfessorem vel alium Judicem inferiorem capitalis poena imponitur, vel quia causa ei devoluta fuit modo prædicto; vel quia sententia illius solemniter confirmatur appellatione recepta, nequaquam Princeps consultitur, nec illi aliqua relatio fit: bene verò si reus capitaliter plectitur per Aulam in gradu appellationis, qui mitiori poena condemnabatur per inferiorem, quia hoc casu Aula executioni mandat suam sententiam. Ratio disparitatis difficilis videtur, sed meo iudicio depromitur ex Text. in leg. solent 6. §. 1. ff. de offic. Proconsulib. *Legatos non oportet Principem consulere, sed Proconsulem suum: & is ad consultationes legatorum respondere:* quæ verba, quia perspicua explicatione non egent. Sed quare sic cautum? ratione superioritatis Proconsulis cuius erat majus imperium in Provincia post Principem l. ideo 8. ff. eod. tit. cum autem major jurisdictione quoad causas criminales in Curia post Principem

cipem in Aula resideat, ideo illa sola Principem in his consulit, inferiores verò ipsam Aulam; ex quo ipsius præ- eminentia fecerunt, eum species magna prærogativæ sit, ipsum Principem facie ad faciem consulere: eleganter ad rem Cassiodorus lib. 4. epist. 4. *In re quidem de se bene arbitrabitur estimatum, qui Regium meretur alloquium, quia dignitas est subiecti, affectus meruisse dominantis.*

CONTROVERSIA IV.

De his qui sub nomine Justitiæ, ut pecunias extorqueant nequiter, causas criminales supponunt.

SUMMARIUM.

- 1 Aula, delinquentium commune receptaculum.
- 2 Aulam quærentes quo sine ad eam ferantur.
- 3 Aula grandis meretrix integerrimos quosque corrupens.
- 4 Durum injuriam pati per quos auxilium sperabatur.
- 5 Regis nomine vim inferentes auriorebus armis utuntur.
- 6 Crimen concussionis sub nomine justitiæ frequens in Curia.
- 7 Qui potestatem aut Magistratum exercent, cum non sint, quod crimen committant.
- 8 Crimen lese majestatis an isti committant, discutitur.
- 9 Alguazelli domus & Curia Regis potestatem & jurisdictionem obtinent.
- 10 Sayones tempore Regni Gothorum in Hispania qui dicebantur.
- 11 Jurisdictionem regiam usurpantes poena legis Julia majestatis tenentur.
- 12 Limitatio Farinacii proponitur in eo qui neminem morti tradidit.
- 13 Jurisdictionem usurpans & eo nomine leviora committens, poena falsi tenetur.
- 14 Apparitoris officium usurpans, licet solum teneatur poena falsi, tamen capitali poena plectitur per legem.
- 15 Causam supponens Adulterii honeste nobilitate femina non leviora, sed graviora committunt.
- 16 Bona mobilia sub nomine justitiæ eripientes talam graviora pariter committunt.

mittunt.

- 17 Honoris detrimentum non est censenda minor injuria quam si vitam eriperent.
- 18 Jurisdictionem usurpans in his qua grave detrimentum inferunt, poena legis Julia tenetur.
- 19 Furtum simplex lex Regni capitali poena puniri in Curia mandat.
- 20 Poena hujus legis quanguam usu recepta non est in simplici furto, secus in rapina & violentia.
- 21 Falsicrimen in eo qui cum auctoritate non habet acta sive instrumenta conficit, quæ poena plectitur.
- 22 Poena capitali non est plectendus qui etiam si auctoritate scriba careat, roget se de instrumentis qua aliam non continent falsitatem.
- 23 Secus si aliam falsitatem contineant.
- 24 Concussionis crimen regulariter per magistratus & officiales patitur.
- 25 Concussionis crimen committi potest per privatos.
- 26 Concussionis crimen regulariter puniuntur poenâ extraordinariâ, sed capitali puniri potest.
- 27 Crimina ex circumstantiis graviora redduntur.
- 28 Jurisdictionem usurpans ut teneatur poena legis Julia majestatis an debeat parari animo occupandi dominium.
- 29 Jurisdictionem usurpans non animo occupandi Dominium tenetur poena legis Julia de vi publica.
- 30 Qua procedant alio delicto non secus, secus si sequatur.
- 31 Apparitores aliquem capientes absque Judicis mandato, ut ab eo pecuniam extorqueant graviter puniendi sunt.
- 32 Apparitoris officium supponens, & similia faciens, gravius puniendus.
- 33 Decisiones Aula mitiorem sententiam sequentes.
- 34 Decidendi ratio in his speciebus.
- 35 Falsi poena hodie arbitraria est per leges Regni.
- 36 Apparitoris sive Alguazelli Regia domus & Curia officium usurpans, magnum officium usurpare dicitur, & num. 37.



UM ex multitudine gentium ad hanc supremam Hispaniæ Curiam affluente ex universis, hujus Monarchiæ Regnis, & totius Europæ sequatur, quod verè mari similis sit, ut dixerat D.D.L. laetæ, de Re Crim. Pars I. D. noster